



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

De V. Obligatione, §. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)

216 *De V. Obligatione, §. 8.*

ficit in quadrarione conditionis cum personâ conditionem captante: ut & ingenio, & animo & corpori conveniens conditio eligatur.

Quantum ad vacationem, qua vacare vocationi nostræ debemus, ea fere rejecta est in Obligationem quintam.

Quantum ad constantiam & mutationem: breve monitum, ut mutetur quantum fieri potest minime.

Appendix de vitanda sollicitudine, quæ præsertim in eligenda conditione intervenit: lex enim proposito contenta est: qui legem solam quærerit, non est, cur anxius sit: cum propositum semper sit ad manum, nunquam longè quærendum.

§. 8. *Quinta Obligatio.*

Quinta Obligatio, quartæ inædificatur proximè: Illa præcipit, multa facere, multa pati, ut aut institutum semel vitæ cursum, perpetuò & æquabiliter servem, aut mutem etiam aliquando, & iter, si opus est, aliò deflectam. Somno temperandum, abstinendum lusu, sudandum & algendum, exantlandi labores, devoranda tædia, antequam in arte vel discipula

i Quinta Obligatio nihil habet obscuri.

plina quapiam , cui nomen meum dedero,
mediocrem progressum faciam : **Quid si**
de fastigio Sapientiae cogitem, ut pluribus
prosim ? Duriora me manebunt, imo non
dura jam , sed dira : aliorum me flagella-
bit censura , aliorum arrodet invidia, alio-
rum supprimet aut subruet etiam impo-
tentia. **Quod si** Ratio me ad honores in
Republica petendum adducat : competi-
tores, susurrones, obtrectatores, ambi-
tus, repulsa, inquies , vigiliæ , ingratæ
multitudinis imperitia & sævitia : hæc
omnia in me instituta , parata , intenta
sunt. Rus me mittit Ratio , aut ad operas,
tabernarios, cerdones mandat ? **Quotidia-**
nun me pensum & servitus exercebit , rei
familiaris angustia constringet : contem-
ptui ero , aliis fastidium , aliis ludibrium
debebo. Si denique ex præscripto Ratio-
nis conditionem meam deseruero , & ad
aliam defecero : jam facienda mihi sunt
illa , quorum sum insolens & ignarus : in-
ter nova omnia ac recentia , quædam me
implicabunt inopinata , quædam me re-
pentina consternerent : multis sermonem
dabo , rudem me & veterem tyronem alii
reprehendent , alii ridebunt. **Hæc** igitur
omnia ferenda & concoquenda sunt: Deus
imposuit , cui nos totos deditus.

Argu-

Argumentum.

§. 8. De Quinta Obligatione.

Multa ferre, multa facere: alioqui enim non possum vacare conditioni vitæ, ita ut frugifera sit, & victum mihi proferat.

Quatuor puncta expenduntur, in quibus difficultates subeundæ sunt: primo in conditione viri docti: (ibi studendum, ibi mille tædia devoranda, invidia & censuræ subeundæ) secundo in conditione magistratus: (ubi vigiliæ, curæ, & pro omnibus his ingratia populi & sævitia) tertio in conditione humili & abjectâ: (ubi contemptus, paupertas & rigidum atque quotidianum pensum) quartò in mutatione conditionis (ubi insolentia & inassuetudo turbant & terrent, & mentem mille anxietatibus affligunt) in hæc igitur omnia obfirmandus animus.

§. 9. Sexta Obligatio.

Quintæ Obligationis additamentum, continet legem remittendi subinde

i. Continet legem remittendi subinde animum, Quod ante